



# LIBER VNICVS, DE ACETI NATVRA IVXTA MATERIAM.

**Q**UOMODO FIAT ACETUM. I T Acetum ex putrefacto vino maximè potenti, imposita quadam materiâ per triduum pendente in eo; quo tempore ex turbido redditur clarum, ex malè odorato & pravi Saporis, optimi Saporis & odoris, aded vt non multum à boni vini qualitibus recedat. Modus alius: Coquitur vinum corruptum vt decreseat tertiâ parte; Inde conditur sale aut rebus acerbis & tegitur; Inde elutriatur, & transit in naturam mediam quandam Aceti & vini. Tam primo modo quam secundo, breui postmodum transit in Acetum & acerrimum est: Ad quod adiuvat Sol si in eius radiis ponatur; & vas Aceti naturâ, sapore scilicet & odore imbutum. Vinum quoque omnis vitij expers, per se dum euanescit in Acetum transit. Quæritur ergo, an Acetum factum ex vino corrupto, noxium sit humano corpori: In qua quæstione videndum est primò quomodo vinum transeat in Acetum; & an transitus incorrupti vini possit esse per aliam viam quàm per corruptionem. Hoc autem præsupponit vt sciamus & naturam Aceti in quo differat à substantiâ vini. Deinde oportet videre, an transitus hic sit naturalis, an artificiosus?

Circa primum, dubium non est quin Acetum, non sit siccius vino; tum quia videmus quod exsiccat magis ac mordet, quàm vinum; alstringit etiam: sed hoc ad frigiditatem referri potest. Secundò quia partes humidæ sunt resolutæ & maximè, à calore putrido, cuius proprium est exsiccare, vt in quarto Metheorum. Dico etiam quodd est frigidius vino scilicet potenti; tum quia magis sedat sitim quam vinum; & est vtile in pluribus Erysipelatosis dispositionibus, quibus nullo modo vinum vtiliter applicari potest; tum quia est acidi Saporis: acida autem manifestè frigida sunt. Demùm quia calor exhalauit ex vino dum transit in Acetum per putredinem vt visum est ex Philosopho. Sed est etiam illud argumentum quodd lædit neruos; & quodd ex vino valde debili, non potest fieri Acetum insigne, quia non potest magis refrigerari, quod necesse est ad hoc vt in Acetum conuertatur. Dico tertid quodd est tenuioris substantiæ quàm vinum: nam vinum minùs penetrat, cum sit tamen calidius; igitur ratione substantiæ.

Tom. II.

Cum hõc igitur quod dictum est, (& est ex Galeni sententiâ totum) sunt duo alia, scilicet quodd Acetum habet non paucas partes calidas & alias etiam crassas: inquit enim in primo de Simplic. Medicament. Acetum habet partem tenuè quæ frigida est & faciem quæ crassa est & calida, sicut etiam in lacte pars tenuior & serosa frigida est; butyrosa autem est crassa, calida est: Et hoc est contra rationem: quia calidum attenuat; & frigidum cogit & incrassat: Quintò enim de generatione animalium cum calor & frigus indurare possint, consumpto humido aut euaporato; calor tamen laxat, & rariora facit; frigus autem densat. Et trigesima quarta Problematum, calor cuncta ab initio laxat, & spiritum ex humidis ducit, diffundit, ac tumefacit. Galenus autem quinto de Simplicibus Medicamentis. Frigidum aqueum incrassat cogit, contrahit & constringit. Et secundo in sextum de morbis vulgaribus. Calidum tepesciendi dilatat & rarefacit; frigidum cogit & alstringit: Sed de hoc aliàs. Vt ad propositum ergo redeamus, quærendum est etiam aliud, scilicet, an Acetum sic factum possit dici artefactum. Quæ enim sunt quadrisariam sunt, vel à principio interno; eumque id contingat dupliciter fieri, aut quod cognoscat, & tunc dicitur voluntarium, vel cuius cognitio sit extra quod agit intus, & naturale, vt primo naturalium, à nobis declaratum est: Ita si ab externo principio fiant, vel vt cognoscit, & ita est casus. Velut ergo idem (vt de spuma cavis in Protogene, equi in Nealce.) fieri, quanquam raro, & naturâ & arte potest, eo quodd eadem licet non sint, eodem tamen modo, scilicet ab externo principio procedunt, nec repugnant inuicem: at idem fieri à voluntate & natura repugnat, cum principium non eodem modo agat: à voluntate enim fortuitò fit, quia Naturam mouet ad operationem; quod autem à natura est citra cognitionem fit; ob id hæc nunquam, illa aliquando coincidere possunt. Quamobrem non hæc quantum necesse est simpliciter, sed huic negotio dumtaxat dicta sint. Igitur permiscetur, hæc agentium genera; scamnum enim facit ars & nullo modo secundum naturam: at qui pulsat cytharam, alio modo, non enim prorsus secundum artem, sed sonum secundum naturam facit tacta fides, magis etiam me-

Fff 2 dicus

Quomodo fiat Acetum.

Quæstio an Acetum ex corrupto vino noxium.

Acetum siccius vino.

Cap. 1.

Aceti proprietates.

dicus sanationem arte atque naturâ, & qui ferit frumentum, principium habet ab arte; vt qui arauit agrum, & sparsit semina; natura tamen frumentum, non ars ipsa producit. Et qui ex arte alinum equâ coniungit vt mulum procreet, hoc ex arte facit: Natura tamen ipsa est quæ mulum procreat. Ergo vt ad propositum deneniam, Acetum quod fit immisso eo globo in ipsum est arte factum, quasi principio admoventē agentia passis, si tamen causa etiã contingat idem eueniet. Quæcumque igitur sunt natura, (sunt autem bifariam, aut generatione vt homo, aut corruptione; atque ex his tertius est modus, velut cum ex pomo fit vermis, vtroque scilicet modo corruptione pomi, generatione autem animalis) sunt ad motus patientibus ad agentia, aut agentibus ad patientia, aut vtrisque simul: velut in plerisque animi generibus ad concubitum. Ad hæc admonitio quadrifariam contingere potest, vel à naturâ, vt cum Persici arbor alimentum trahit: vel casu, vt cum feræ ad aquas in Africa conueniunt: vel arte; vt cum Equifones, equos ad equas ducunt: vel voluntate vt cum homines eunt ad amatas. Cum verò animalia cætera conueniunt vocibus, non id ad voluntatem, sed appetitum est referendum; siquidem voluntas solum est hominum aut mulierum: In belluis autē & cæteris animalibus est appetitus; & hic naturalis: Nam cætera animæ, præter rationalem ad naturam pertinent, vt in tertio naturalium declarauimus. Ergo hæc Aceti transmutatio naturalis est; Iuxta autem Principium, dici debet artificiosa aut saltem potest.

Quærendum est igitur de Aceti propria generatione, seu vt verius dicam de vino transmutatione calefacere indicauit Aristoteles trigesimalertia Problematum, quod singulum tollat. Sed vt Proprius accedamus. Acetum fit purefacto vino atque corruptio. Et in id omnes consentiunt, tum verò experimentum id docet, & ratio ipsa subscribit, cum mutet colorem, magisque odorem, longè autem magis saporem. Quocirca dubium non est corruptione vini transire in Acetum. Sed esse aliud corruptionis genus, haud dubium est, quàm quæ est in perturbatione; quinimo vinum corruptum ægrè transit in Acetum. Et cum transit vt ab initio dictum est, iam primum redit ad vini integri similitudinem. Ex quo coniectari licet, vini esse duas corruptiones; vnam in qua exhalat quod corrumpitur, remanet quod corruptum est (differunt enim adeo hæc vt quod corruptum est & purefactum, amplius neque corrumpi, neque pure fieri possit) & hinc fit Acetum. Indicio est quod primum vina generosa maxime in Acetum transeant; imbecillia, non. Et quod omne vinum quantumvis integrum, soli expositum aut in loco calido retentum transit in Acetum. A calore enim externo primum purefacti, & quidquid est tenue id est dulcis pars atque vinosa euanescit: reliquum aduritur & in Acetum transit; Quomodo autem postea. Solum restat dubitatio, quoniam si omne vinum putridum exactum, deberet

transire in Acetum. Et certè transit. Sed si sine mora euaporat etiã quod adustum est; quoniam verò calor separat heterogenea seu dissimilia secundo de generatione & corruptione, ob id dicimus in Aceto duas fieri partes, quarum vna terrea sit & aduritur, alia aquea, quæ quia non recipit impressionem, ideo fecit Aceti calida est, Acetum autem & eius aquea pars ac tenuis frigida sunt. Ob id igitur semper cum manent necesse est in his quæ aduruntur, crassam partem fieri calidiorem, quia neque euaporauit, neque relicta recipere potuit impressionem; fuisset enim in vaporem, conuersa. Quæ igitur terrea distillantur omnia transeunt in naturam veneni, quoniam quod transiit (vt hydrargyrum, aqua separationis, auripigmentum album seu dealbatum, quod Arsenicum vocant) exustum est: Duplici argumento, & signi, quia aliter non potuisset ascendere nisi supercalefactum: & causæ; quoniam terreum ab igne aduritur, impressione facta. Igitur Aceti generatio eiusmodi est.

Merito igitur quæsitum est, an quod ex vino iamdiu purefacto sit, seu medicamento, seu igne, seu casu, noxium sit humanis corporibus? Videtur autem quod sic: quoniam materiæ diuersæ, diuersas formas sibi exigunt, octauo primæ Philosophiæ; & paulo post, proponere videtur quatuor quæstiones seu maius duas; Nam prima & secunda sunt; an ex eadem materia contingat fieri diuersa, & an diuersorum materia semper diuersa sit? Tertia & quarta an ex diuersis materiis idem possit generari; & an quæ eadem sunt, eandem habeant materiam? Respondet igitur ad primam, quod non contingit ex eadem materia fieri diuersa: diuersorum enim materia diuersa est. Ad secundam, quod quandoque ex diuersis materiis fit vnum secundum formam vt lectus ex ligno & ære; hoc autem in artificialibus: Nam æs & lignum sunt diuersæ naturæ & facultatis. Et hoc etiã probatur à Commentatore octauo Physicorum duabus rationibus: Quoniam vel idem fiet semper, vel in maiore parte, vel minore, vt equus è putrida materia. Si semper: Igitur perit assumptum, quia non ex semine vnquam sæpius & non semper: & hoc videmus non esse verum; equi enim plerique ex equis generantur. Aut in minore parte, id est raro; & contra hanc responsum adducit tres rationes: quarum prima est quia primum casus & natura sunt contraria; ergo idem non potest fieri vtroque modo. Secunda, quia non est comparatio necessaria causarum & effectuum propriorum; & ita oportet tollere omnes effectus proprios; aut causarum. Et etiã quia quod fit à casu, fit ob id, quod causa illa aliud voluit facere & fuit impedita: & ita homo posset etiã generari ex semine equi; imò talia quæ sic generantur, sunt monstrofa. Ergo diuersarum materierum diuersi sunt effectus, formæ, & operationes. Secunda ratio est, quoniam materiæ essent otiosæ: si ex diuersis idem posset generari; idem docet quarto cœli, vbi docet quod materiæ & formæ sunt reciproca. Secundò quia vinum corruptum

Vini due  
corruptiones.

Cap. 1.

Cap. 4.

corruptum ut dixi ut in quo adhuc putredo manet : Sed putredo vini dum transit in Acetum est exustio, nil manente ex eo quod putrefcit : quod autem putrefcit, potest corrumpere totum corpus, quod autem putrefactum est, non potest hoc facere : Igitur Acetum ex vino corrupto poterit nocere ratione putredinis. Tertio quia putredo longa & diuturna corrumpit totam substantiam, & etiam quia putredo longa est deterior, quia videmus sepulchra quæ sunt aperta, cum longo tempore occlusa manserint, aliquando pertem accendere posse, in tota vna regione ; eos vero qui aperuerunt statim mortuos. Igitur diuturna putredo specie differt à recenti. Quare Acetum ex vino putrido erit noxium & nocentius factum, ex vino bono. Vltimum est, quod quæ putrefacta sunt, non amplius redeunt, ut secunda Aphorismorum, ubi proprie de vinis aculentibus ab initio, & perfecte acidis factis agit. Cum enim vinum putrefactum perfecte fuerit, numquam ad sanam redibit substantiam. In oppositum est experimentum. Ratio & auctoritas, quæ cum simul in vnum conueniunt perfectam fidem facere solent. Nam nemo inuentus est, qui læus sit ab Aceto factum ex vino putrido; neque etiam huius differentie meminerunt auctores : quamvis dubium non sit Acetum fieri ex vino corrupto, notum fuisse antiquis. Si quis dicat ignotum quod ex bono : neque hoc ex suprascripta auctoritate, sed forsan adducuntur duo loci ex Galeno, ubi videtur & auctoritate premere hoc fundamentum & ratione. Nam dicit primum in secundo de alimentis : *Citri succo acris in Acetum iniectus, illud acris reddit. Quo concessio, si acris, igitur maiorem noxam affert in quibusdam, alios magis iuuabit. Simili ratione, vinum iam diu putrefactum dum transierit in Acetum, aliam vim habebit : nam alterius erit saporis & odoris : igitur magis alio nocebit. Altera auctoritas habetur tertio de medicamentis secundum genera, cuius verba sunt. Hoc igitur ex Aceto facere quam acerrimo excogitauit, præferim quod ex vino non austerum confectum est, ( ac si ex tali non sit, sed admodum vetus ) eo vitior ; attende tamen diligenter in gustu, ne tibi vel minimam vini qualitatem referre videatur ; tale quippe Acetum validam excedendi, secundique vicina, potestatem non habet. Is autem est sensus, quod Acetum vini qualitatem retinens ( non quod non retinens ) validam excedendi, secundique vim non habet : scilicet quasi medium inter vinum atque Acetum. Quod vero dixit. Ac si ex tali non sit, sed admodum vetus Id est ut non solum austerum minimè sit, sed etiam vetus oportet ut sit, tum eo vitior. Alius sensus est, quod etsi austerum sit, modò vetus, eo vtendum sit. Hæc expositio verbis illius magis conuenit, prima autem rei & vsui melior, cum vtramque comprehendat. Si igitur tantum refert ex quo fiat ; veteri, vel nouo ; austero, aut non : quanto magis iuxta illud Horatij :*

*Quo semel est imbuta recens seruabis odorem*

*Testa diu.*

Verum auctoritas ipsa adducta nos docet, cum aliquid seruatur, prioris formæ, tum noxium esse Acetum, quod ex putrido vino factum sit. Secus, ut dixi optimi est & alto præstantius, modo sit vales ad opportuna. Sunt igitur vites illius calefacere, & magis refrigerare, siccare autem in tertio ordine, maxime si potens, octauo de simplicibus Medicamentis. *Vinum, Acetum, caseus, Buxyrum, oleum, & mel sunt vetustate, calidiora, acriora, atque tenuiora. Neque est purè acidum sic enim esset solum frigidum, quoniam quatenus est frigidum, eatenus frigidum est : sed ut acre, ita calidum est, Quarto de simplicibus Medicamentis.* Est tamen Acetum frigidius omphacio, tamen si omphacium calidis partibus careat, quia etiam acris. Idque ei contingit, quod Acetum tenuioris substantiæ sit omphacio. Imò dicit, Acetum frigidius est, quam sit mel calidum. Et ipsum primum penetrare facit substantiam tenuem, qua refrigerat, sed prius dum calor penetrat, ipse excalet ( quoniam vero substantia crassa, in qua est, non penetrare potest sed solus calor, idè primum excalet, & breui inde refrigerat stabili refrigeratione, atque maiore quam calefaceret ) ut tamen sit frigidius quam calidum. Quomodo autem vinum in Acetum transeat tertio de medicamentorum compositione secundum genera capite quinto scribit. Circa autem aduertendum, quod ex auctoritate Aristotelis & Theophrasti docet, quod vinum dum vertitur in Acetum, exiit naturalem calorem & induit asciticium ex putredine aquæ substantiæ, & dat exemplum, quod prima fronte videtur absurdum, de lixiuo & cinere, ita sæx vini aduritur, & licet illa non vtamur, partes tamen tenuiores in dies cum aqua miscentur ; atque ita Acetum etiam excalet ; Quo sit ut emplastrum ex Aceti fæce ambustis plurimum conferat, quoniam siccatur potenter, & excalet summa, & attrahit interna refrigerando. Et de his etiam agit post. Concluditur ex his, quod datur substantia tenuis exquisitè & frigida, ( quod à Galeno quasi diuinando dictum est ) & est succus Limonij fructus. Sunt igitur iam vires Aceti declaratæ quinquè, Calefacere, Refrigerare magis, ac magis multo Siccare, excedere, ac difficiliore ; Sexta erit, putredini resistere. Vnde tempore pestis eo maxime vtimur, intus, extra & in suffitibus. Quod si quis obiciat ex secundo de compositione Medicamentorum secundum locos, Acetum acerrimum habere aliquam caliditatem : quasi dicat, nullam esse in non acerrimo : Respondebimus de euidenti, seu exuberanti : dicimus enim multis modis, frigidam substantiam excalet ; aut quia aliquid habet caloris licet vincatur : aut quia calor frigus exuperet : aut quia sit calidissimum. De Aceto autem acerrimo intelligitur secundo modo ; de non acerrimo, primo.

Comm. 17. in fine.

Cap. 37.

Cap. 1. in prin. 161.

Capite primo.

Cap. 12.

Primo de simpl. med. cap. 27.

Septima vtilitas habetur, exterius applicatum leni: eo quod careat ligamentis ac tendonibus, aliàs periculosum: habet etiam familiaritatem cum illo. Vide quatuordecimo Artis curandi cap. quinto. Vbi autem sunt membra sensus subtilioris, nocere potest plurimum. At penetrat, & adeo subtilis substantiæ est vt magis per vestes diffuat atque spargatur, vt in primo de simplicibus medicamentis dicit Galenus cap. 20.

Duas alias facultates adiicit idem, secundo de compositione Medicamentorum secundum locos, scilicet quod repellat & discutiat, quæ sunt quasi contraria, sed nimirum cum sit ex contrariis substantiis compositum. In his igitur omnibus facultatibus dico præcellere & melius esse Acetum ex vino corrupto dumtaxat, exceptis tribus casibus, de quibus præterquam de primo nulla potest poni regula: Nam si non sit plene repurgatum à putredine, procul dubio erit deterius. Secundo si detur quibus non conuenit; quoniam quanto potentius, eo magis lædet, vt quia acidius & acrius, velut sunt Aceti quædam species quæ ferri non possunt. Tertium est incertum & adhuc sub indicio vbi substantia iam perierit, ita vt Aceti qualitates, velut acidus & acris sapor & odor non possint induci; tunc enim erit inferior eo, quod ex integro vinum factum fuerit.

Ostendo autem id rationibus manifestis, primum quia calor putribus vt dictum est, separat maximè substantiam vt visum est: sed Aceti forma est vt tenue optimè à crasso separetur: igitur Acetum ex huiusmodi vino putrido, optimum erit. Secundo quia in eo quod putrefactum est, dissolutæ sunt magis partes vinosæ: Ergo à calore reducitur ad meliorem formam, & puriorem Aceti; cum partes Aceto implicite scilicet austere & dulce, suaue & pingue, etiam melius sint resolutæ. Tertio, quoniam cum aliquid reducitur ad aliquam formam, quæ agit; quod perfecte reducitur, etiam perfecte eas operationes agit: velut si forma scamni est causa sedendi commodè; illud quod melius redigetur ad eam formam & perfecte, etiam perfecte inferuiet illi operationi: Sed Acetum habet formam ex resolutione partium vinosarum per calorem externum, ergo quomodocumque redigatur perfecte ad illam formam, erit perfectum Acetum. Præterea in illa transmutatione per medicamentum transit ad formam vini probati, ergo perinde est, ac si ex illo factum esset.

Sed & aliud considerandum est, circa has transmutationes; quoniam vt diximus, neque hæc simpliciter corruptio est, multo minus generatio. Propterea tres sunt modi transmutationum, iuxta tria agentia: Nam calor naturalis, non transmutat verè, sed aut generat, aut alit vt in id quod præest fiat commutatio: At reliqua quæ transmutant sunt calor igneus & putridus, & frigidus. Calor autem igneus, cum remissior fuerit, vt solis, ex reflexione, corrumpit & putrefacit; sed per se amburit & separat tenue à crasso, & partes dissimiles, secundum Phi-

losophum, vt dictum est. Sed videmus vt in cinnabari factio, quod etiam miscet, vt pote hydrargyro sulphur: Hoc autem facit, quia transire non possunt, sed vbi separari possent (& etiam motus auxilio miscet vnum alteri) euanescerent partes tenues. Dicimus ergo quod attenuando miscet auxilio motus: vt calor sit causa maioris misionis & perfectionis, quoniam si partes partibus miscentur. Igitur in putrido calore quærendum esset, quomodo possit generare animal? Nam si generat; igitur illa generatio est præter naturam. Et etiam quia separat; generatio autem sit per misionem: Sin autem, quod verisimilius est, perfecta separatione, calor nouus naturalis inducitur; ille poterit esse causa generationis; Et ideo in Aceto aliquando vermes generantur, & tunc significat, perfectam iam esse putredinem, & nouam formam inductam. Constat ergo generationem Aceti esse mediam, inter eam quæ sit à putrido calore & ab igneo; & ob id ab igneo exacuitur & sit acris: à putrido autem, quod horribilis sapor abest, acidus. Quamobrem acidus sapor semper est frigiditatis signum: à calore autem igneo, prohibetur putredo; & ob id, Acetum non male olet, & cum malè olet, non est Acetum. Dico ergo quod cum ex putrido vino sit Acetum, illud indiget maiore calore, vt putredo maior resoluatur; ergo Acetum ex vino putrido, vbi ad perfectionem venerit, calidius est Aceto, ex vino integro. Quæ autem à frigore congelantur, acida aut insipida euadunt, insipida quidem cum prorsus putredine caruerint; acida autem cum putredinis aliquis modus adiungitur. De insipido obscura ratio non est, Acidi autem causa est, quia sicut acris mordet linguam diuellendo; ita acidus constringendo: Cum ergo in tenui substantia tantum frigus viguerit vt vellicet linguam, sit acidus sapor, & ideo acidus sapor, sit à conglaciatione.

Vltimò videndum, quomodo ex corruptione fieri possit res vtilis naturæ. Auenzoar dixit Acetum esse adeo inimicum naturæ humanæ & præsertim ventriculo, vt nisi obstaret consuetudo, non posset ferri; atque indicio esse, quod vtero, qui ei non assueuerit, sit prorsus intolerabilis. Quædam etiam ex putredine facta conueniunt, & sunt loco generosi medicamenti, velut id quod sit ex vrina hircorum putrefacta ad Elephantiasm, Tertia quarti, tractatu tertio, capite tertio, & vocatur Aliclaha; Et transmutatio lactis, de qua in Tertio de alimentis, capite decimosexto, in oxygalac; & melsyla atque sorba, dum in palea tritici maturescunt; Et quartum exemplum est de oleo sulphuris & tartari, quæ adeo distant ab his, à quibus extrahuntur, sapore, colore, odoreque. Quintum est, de Elyxir vocato liquore, cuius materia, diu computrescit, sub fimo equino, atque inde, extrahitur vi ignis. Sextum de vermibus terrenis, & Asellis, qui exhibentur tamen per os. Et huius similiter generis est vsus fungorum, atque item salis facti ex cineribus aut ex fimo: omnia enim habent originem transmutationis

tationis à calore, non profus naturali. Om-  
to modo Scythas, qui oblectantur fimo equi-  
no & nos edimus quales, & ostrea ac lima-  
ces, & conchiliorum genus omne cum ex-  
crementis, quæ sunt corrupta in compara-  
tione ad propriam naturam.

Ad obiecta ergo dicamus: ad vltimum,  
inquam, perfecte putrefacta redire nequeunt.  
Fateor; sed in aliud transmutantur genus  
substantiæ, velut diximus, & pluribus ex-  
crementis edocuumus experimentis; quod  
enim computruit omnino, veluti cinis, non  
vt res, quæ putrescit dum, & ideo eo redi-  
tu minimè indiget. Sed neque profus com-  
putruit impediende calore externo igneo,  
per quod quidquid putrescit exhalat; vt sit  
veluti dixi, operatio media, inter putredi-  
nem & consumptionem quæ fit ad ignem,  
quam non possumus appellare assationem,  
quia nihil est terreum siccum, sed humidum  
absque terreo; neque elixationem, cum sit  
nihil terreum in illa, humido proportione  
respondens: Verumtamen respectu siccis  
est propior elixationi quàm assationi.

Ad tertium putredo longa magis corrup-  
pit substantiam & est deterior: verum est,  
vbi sit conclusa, & sine exhalatione: sed in  
huiusmodi, quantum putrescit, tantum ex-  
halat, tum quia est in loco aperto; aut sal-  
tem non diligenter, neque exquisitè con-  
cluso; & certum est, quòd si quis omnino  
sic putrefaceret vina, transirent in venenum  
acutissimum; quod videtur manifestè in fru-  
mento sepulto vt seruetur, cum aperto loco  
quod exhalat, confestim occidit eos, qui ad-  
sunt: Est enim deterior ille halitus, tum  
quia magis conclusus; tum quia subterra-  
neus. Acetum autem contineri solet in do-  
lilis loco excelso, calidissima æstate, & soli  
expositum. Tertio quia vinum (maximè  
quod in Acetum transire natum est) est ca-  
lidius, siccus, & tenuius, quam triticum;  
tenuiora autem magis obnoxia sunt, calori  
igneo, & minus putrido: contra crassa, pu-  
trido & minus igneo. Ideo frumentum ma-  
gis putrescit, vinum magis exurit & ex-  
halat.

Ad secundum, vinum dum putrescit, non  
est Acetum, & ideo rectè adiectum est, vt  
fiat putredo perfecta, & transeat in Acetum  
verè, & nihil retineat saporis prioris, ne-  
que putridi in facto ex putrido vino: neque  
vini simpliciter, in facto, ex bono vino.  
Nam Galenus negat tale esse miscendum  
medicamentis externis; quanto minus, su-  
mi debet per os. Et in hoc casu, & fuit pri-  
ma exceptio, fateor quòd non debemus vt  
vino corrupto; & est deterius Acetum im-  
perfectum ex illo, quam ex bono vino: neu-  
trum tamen est vile. Et casus est extra que-  
stionem.

Ad primum verò, cum dicitur, quod ma-  
teria facit rem diuersam, & ita de vino, cui  
miscetur succus acris citrij pomi, de vino au-  
stero, aut non, de vino veteri, vel nouo,  
non subterfugio sem ipsam, neque cauillor,  
dico quod materiae sunt diuersæ, & sunt  
etiam formæ diuersæ, & ita sapor & odor  
illorum erit diuersus. Tria tamen nego, pri-  
mò non esse bonam comparisonem, sed de-

bet fieri inter simillima Aceti generat in  
odore atque sapore: nam facta Aceta ex  
vino integro, & ex longa putredine corru-  
pto, erunt diuersi saporis & odoris, nec om-  
nino comparatio sic fieri debet, sed simi-  
lium in qualitatibus, vt vnum tamen sit ex  
corrupto vino eiusdem naturæ, aliud ex in-  
tegro; Dico quòd erunt diuersa etiam quòd  
sint perfecta; & hæc est secunda excep-  
tio. Cum verò adiicis, quod factum ex  
vino integro est; hæc omnia nego; imò  
dico, quòd vbi vnum sit ex eodem vi-  
no corrupto, ex quo alterum ex inte-  
gro, modò potuerit transire ad perfectam,  
puramque Aceti naturam, quòd tamen si  
erunt diuersi saporis & odoris, vnum scilicet  
alio potentius; illud tamen quod erit ex vi-  
no corrupto, etiam si fuisset putrefactum de-  
cem annis, non erit neque infirmius in iu-  
uando, neque periculosius; multo minus,  
nocentius facto confestim ex vino integro,  
modò applicentur vtraque eisdem morbis,  
caulis & naturis proportione respondentibus.  
Et tunc vera erit semper hæc regula,  
quod quanto Acetum erit Aceto calidius,  
erit & acrius, magis dissecabit, erit magis  
mordax, & corporibus conueniet densis, du-  
ris, ac dispositionibus magis inueteratis, &  
ex humoribus magis crassis ac tenacibus len-  
tisque. Et huiusmodi erit ex corrupto vino  
vsque ad aliquod. Compositio autem illa,  
oportet vt sit potestate calidissima & tenuis-  
sima, fungaturque vice ignis, in hoc, ab  
eo differat, quòd magis separat, quàm re-  
soluat, & ideo plus colligitur Aceti quàm  
per ignem, Et etiam quia in igne resoluitur  
pars utilis, & remanet multum inutilis;  
imò quod remanet eorum est mixtum &  
turbidum, hæc autem separat corruptum ab  
incorrupto, & ideo antequam fiat perfecta  
separatio, & exhalare calor possit perfectè,  
ipsum vini relinquitur materia, quæ non  
est Acetum nec vinum, sed vappa quasi con-  
similis vino, eiusdem naturæ, quale ab ini-  
tio fuerat, dum esset integrum, sed vt dixi  
multo minus potens, & est materia Aceti  
futuri; & in illud transit postmodum bene-  
ficio temporis, caloris externi, atque im-  
pressionis factæ à fæce; vnde si statim elu-  
trietur à fæce, non transiret in Acetum  
potens, sed valde imbecille. Manifestum  
est etiam quòd possunt eiusmodi composi-  
tiones variari multis modis: Et ideo diuer-  
sæ descriptiones inueniuntur à variis autho-  
ribus; quarum altera melior est altera & va-  
lidior; oportet tamen vt in omnibus sit ma-  
teria quædam terrea & sicca pro fundamen-  
to, in qua conseruetur vis illa ignea ne euā-  
nescat; & etiam vt cogat partem aqueam  
vini in acidum, velut calida & ignea,  
fæcem in acrem, & conueniant ambæ in  
hoc, quòd separant vnã ab altera, sicut  
coagulum in lacte. Et hoc non fit per se, sed  
per se trahunt partes, & maxime humidam,  
quia facilius est attracta, & dum alteram  
relinquunt sit separatio; Et ideo istud pote-  
rit esse in omnibus compositis liquidis, velut  
vino, lacte, melle, aqua salsa, quod scire  
esset vtilissimum propter aquam maris. Est  
etiam obiter dictum, quam malè faciunt,

## 620 Liber Vnicus, De Aceti Natura.

qui vina vel leuia, vel non planè dulcia adhibent, cum potentissima sint, eligenda, velur Cefenatum, quod ego expertus sum in conficiendo decocto corticis ligni sancti: Nam siue mediocre, siue etiam non potentissimum, igne in Acetum transit, vnde non solum non optimum, inique conferet, sed etiam nocebit non parum.

Acetum lieni maximè conducit, & ideo in omni medicamento splenitico adiungi debet vt testatur Galenus libro nono de com-

positione medicamentorum secundum, loci libro vndecimo & decimoquarto methodi, & quinto simplic. quia obstruentem incidit & extenuat crassitiem: At interiorius Acetum his negat quibus conuenit exteriorius; nam melancholicis & quartana affectis infestum valde est, vt docuit idem Galenus lib. primo de simplicium medicamentorum facultatibus, Capite trigesimo primo. Et Hippocrates libro tertio de victus ratione in morbis acutis.

FINIS



PROBLE